



8723

1767. 19.

S P E C I M E N
C O N T I N E N S
C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M
D E
D O T E F I L I A E
Q V A E
C I T R A P A T R I S C O N S E N S V M
N V P S I T
Q V O D
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S O R. I V R. N A T. E T G E N T. P U B L I C. O R D I N.
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G.
S O C I O
I N A V D I T O R I O P E T R I N O
D I E VI. O C T O B R. A N N O C I C I O C C L X V I I .
P U B L I C E D E F E N D E T
E R N E S T V S A V G V S T V S W E B E R
T O R G A V I E N S.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.



32
SCHOLIUM
MUSICO-PHYSICO-MATHEMATICO-
DOTHENIANE
MUNICIPALIS CONSTITUTA AETIO-
NIS LATVIAE
HISTORIA-RELIGIA-SCIENTIA-GRATIA
ERGAEZENDA-BREVICKING
DANTONIUS VASCOVITIUS
ERINASTAS VASCOVITIUS



DE
DOTE FILIAE
Q V A E
CITRA CONSENSVM PATRIS
N V P S I T.



§. I.

Trita est regula, patrem esse vi patriae suae potestatis obligatum ad elocandam filiam, posseque iudicis auxilio cogi ad soluendam dotem pro qualitate mariti et quantitate sui matrimonii. Haec haud egent probatione aliqua. Imo tantum legitimam filiam elocandam esse, non aequa naturalem, in quam patri nulla potestas competit, non dubitatur. Haec ita, si consensu patris, filia nuptias celebrauit. At iam quaeritur, quid iuris, si inuito nolenteque patre viro fese

A 2

ad-



ad sociauerit matrimonio: an et tunc pater ad constituen-
dam dotem teneatur?

§. II.

Nuptias filiam familias antiquo iure celebrare penitus non potuisse inuito patre, cuius consensus plane necessarius erat, causam habet in quiritorio dominio patris in liberis. Porro *Lex Papia Poppaea* constituit? QVI LIBEROS, QVOS HABENT IN POTESTATE INIVRIA PROHIBERVNT DVCERE VXORES VEL NVBERE vel qui dotem dare nolunt in matrimonium eos GENERO NVRVIVE COLLOCARE PER PRAETOREM VRBANVM COGVNTVR. Quamuis enim inuito patre matrimonium filiae filiique imire non poterant, videbantur tamen consentiente eo celebrazse nuptias, dummodo non prohiberet. Negat quidem HEINECCIVS in *Comment. ad L. Pap. Popp. ad b. c.* dotis constituendi necessitatem ex hac lege confirmatam idque potius rescripto *Seueri* tribuit, quippe deesset probatio ex capite defumta, cuius autor scripsisset ante *Severum*. At vero, non omnino improbanda est sententia in hac re GOTHOFREDI ad *L. Pap. Popp. b. c.* qui dotes dandae necessitatem hoc capite positam arbitratur. Sicut enim antiquioribus temporibus dotes in nuptiis interuenire debebant propter eaque iam *Lex Voconia* in ea quantitate, quae feminis relinquenda in testamento, legitimam dotis quantitatem definiuerat; ita cum *Lex Papia Poppaea* necessitatem imponeret parenti consentire in nuptias liberorum, filiae vero sine dote vix nubere possent, frustra statuisset lex iniuria parentes prohibere non debere nuptias. Quodsi enim pater negaret dotem filiae non quidem directo prohibebat nuptias, at efficiebat simul, vt viro nubere non posset, sic im-
pedi-



pediuisset finem legis Papiae Poppaeae. Quodsi itaque expresse quidem etiam dotandi necessitas in hac lege posita non fuerat, consecutione inde deduci poterat, et iam si dote negata impediret filiae nuptias, coniici potest, patrem a Praetore coactum fuisse ad dotandam filiam, quae sine dote nubendi conditionem habere non poterat, quae vero etiam ad matrimonium ineundum lege Papia Poppaea tenebatur.

§. III.

Eo certius vero est, Edictio Seueri et Antonini dotandi officium patris necessarium factum fuisse, quod expresse testatur MARCIANVS in L. 19. π. de Rit. Nupt. Capite trigesimo inquit, *legis Iuliae: qui liberos, quos habent in potestate, iniuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere; vel qui dotem dare non volunt: ex constitutione Diuorum Seueri et Antonini per proconsules praefidesque provinciarum coguntur in matrimonium collocare et dotare.* Adhuc dubius sum, an non magis hac lege extensa sit lex Pap. Popp. ad prouincias. Postea tandem Imperator IVSTINIANVS in Nouell. CXV. cap. III. §. II. maxime parentibus imposuit necessitatem *filiae ante impletum maiorenitatis annum nubendi conditionem curare.*

§. IV.

His omnibus praemissis, videamus, quid in proposita nostra specie: *an pater teneatur dotare filiam, quae citra eius consensum nupserat?* Antiquo quidem iure cum nullum esset matrimonium non consentiente patre celebratum quod vel ex PAVLO in L. 2. π. de Rit. Nupt. Nuptiae consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qui coeunt, QVORVMque IN POTESTATE sunt, vel ex IVLIANO in L. 18. π. eod. Nuptiae inter easdem personas, nisi VOLENTIBVS PARENTIBVS



renouatae IVSTAЕ NON HABENTVR, patet. Vix ergo probari potest, patrem fuisse obligatum filiam dotare, quae citra eius consensum matrimonium inierat. At vero, cum Lex Papia statuisset, ut pater si prohibere vellet filiam, quo minus nubaret, cogeretur per Praetorem, si coactus esset pater, siue sit hoc ex lege ipsa, siue ex constitutione Seueri, cogi utique poterat ut eandem dotaret, salvo iure veteri, ut si prohibita non fuerit filia, sed spreuerit patris consensum, tunc pater cogi non possit ad dotandum.

§. V.

At vero Iure Iustiniane paululum aliter quaestio explicanda videtur. Tractauit praeter alios eandem CORASIVS in *Miscellan. Iur. ciu. L. 1. cap. XVII. et Ant. Gub. COSTANVS Comment. de dotib. Cap. III. §. 19.* Mihi distinguendum videtur, vtrum filia nubat inuito patre, quae XXV aetatis annum non adimplevit, an vero iam maiores anni ea facta sit. Priori themate cum expresse in NOVEL. CXV. c. l. patri hoc ius datum sit, ut filiam, quam elocare voluerat pater exheredare posset, si patris consilium improbauerit, et luxuriosam vitam elegerit, et si sine consensu patris se coniunxerit, videtur luxuriosam vitam agere, aut quod magis est, ingratitudinem committere exheredatione dignam, quippe haec ipse Imperator in subsequentibus statim coniungit, coniicteur ad dotandam eam patrem compelli non posse. Cum enim licet exheredare, quidni licet negare dotem. Si vero nubendi conditio nem antequam XXV annum expleuerit filiae pater non curauerit, expresse statuit NOV. cit. si forsitan contigerit in suum corpus eam peccare, aut sine CONSENSU PARENTVM MARITO SE, libero tamen coniunge,

gere,



gere, hoc ad *ingratitudinem filiae nolumus imputari*. Non ergo poterit exheredari, hinc nec a dotatione immunis erit pater.

§. VI.

Ex *Iure Canonico* rem non decido. CORASIVS loc. cit. quidem arbitratur, cum *iure hoc consensus parentum* sit de sola honestate, sive filiam, quae absque parentis consensu viro se copulauerit, propter spretum consensum non posse exheredari, nec posse eandem priuari dote. Sed valde dubito adhuc, an dotis constitutio *hoc iure* necessitatis sit. Et quamquam in materia matrimonii se quamur plerumque *Ius Canonicum* in subsidium receptum, tamen videntur dotum causae magis ex *civili iure* diuidicande.

§. VII.

Pergo ergo ad Patrios mores et iura. Evidem non nego, nostro iure matrimonia neglecto parentum consensu inita, et copula sacerdotali confirmata, rata permanere, tamen propterea non adfirmabo, impune liberos parentum negligere posse consensum. Imo certum potius est, exheredare potuisse parentes liberos, qui matrimonium nisi non consentientibus inierunt. Quapropter arbitror, licuisse patri, et licere adhuc, ubi hoc ius viget, ut ad patris officium pertineat dotandi necessitas, negare filiae dotem, quae spredo patris consensu matrimonium celebrauerat. Secus vero iudicandum erit, si patris consensum suppleuerit iudex ecclesiasticus, vel ipsius patris consensus requiri non poterat, quod v. c. absens mortuus habebatur ex probabili causa, vel quod postea pater ratihabuisset coniugium filiae, tunc vtique arbitror, eundem ad dotem constituantem genero compelli posse patrem. Sed non obseruanda

crit



erit annorum ratio ex Nouella, nihilque intererit an minor
an maior XXV annis matrimonium inierit, neglecto con-
senso patris. Contra in *Saxonia Electorali* res penitus ali-
ter comparata est. Nam sicut per DECIS. Nouiss. de Au-
no 1746. Decis. XXXI. certo modo improbentur libero-
rum matrimonia carnali sacerdotaliue copula inita spredo
consensu parentum, qui iustas dissentendi causas habue-
runt, et DECIS. XXIX. in causa dotium expresse sta-
tutum! Wenn ein Vater seiner Tochter keine Ausstattung
versprochen, kan dieselbe, oder ihr Ehemann, nach der
Berechtigung dergleichen von ihm nicht fordern, sondern
es ist davor, als ob sie sich dessen begeben hätte, zu achten:
ita dubium non est, nunquam patrem ad dotandam filiam
cogi posse in cuius matrimonium conferat, multo minus
tunc, si inuito patre matrimonium celebrauerat.

T A N T V M.




ULB Halle
003 719 014

3



1078





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres
Inches



1767. 19.

IMEN

NENS

CONTROVERSVM

E

FILIAE

A E

CONSENSVM

S I T

O D

ORDINIS GRATIA

S I D E

HENR. BREVNING

GENT. PVBLIC. ORDIN.

TER. DVISBVRG.

IO

IO PETRINO

NO CICICCLXVII.

DEFENDET

GVSTVS WEBER

VIENS.

IAE

DANGENHEMIA.